



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Sepulturis. Consilium CCCCXXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

illorum sit valor; & deinde per præcedentem communicationem de hac eorum petitione, & bonorum specificatione proximis cognatis & Fratri Nicolai facienda. Sine quibus nulla est spes obtinendi petitam licentiam; imò vix ulla etiam per omnia parito dictæ apostillæ, nisi dictum Monasterium à præfato Iacobo hoc quoque impetraverit, ut consentiat in petitam alienationem seu venditionem dictorum bonorum: cuius obtinendi an spem Monasterium habeat, ignoramus; magis tamen diffidimus: ita ut in casu, & incerto omnino, hoc sit positum.

De Sepulturis.

S V M M A R I V M.

Sepultura electio.

1. 4. 7. Sepultura quomodo eligatur.
2. Sepulturam filius familias sibi eligere potest.
3. Sepulturam quando Monachus sibi possit eligere.
5. Fidem plenam facere quid sit.
6. Probationes legitimæ qua sint.

CONSILIUM CCCCXXXIII.

INTER alios articulos arbitralis sententiæ olim in anno Domini 1345. latæ, super controversiis, quæ fuerunt inter tunc Collegiatam, nunc verò Cathedralē Ecclesiā B. Mariæ Antverpiensis; ac Religiosos Dominos Fratres Priorem, & Conventum Ordinis Prædicatorum ibidem continetur hic, hac verborum formā, Præterea quod dicti Religiosi nullum parochianum Antverpiensem adveniam infra Parochiam Antverpiensem decedentem, ad sepulturam recipiant vel admittant, nisi ibidem suam præelegerit sepulturam, & de hoc fides facta fuerit plena Plebano Antverpiensi, vel eius vicem gerenti: quod si contrarium fecerint penam centum florenorum de Florentia toties quoties incurrant ipso facto, & corpora sic sepulta nihilominus exhumentur & restituantur suo Curato. Qui articulus juris communis dispositioni conformis est, tam quoad electionem, Clem. Dudum De sepult. quam quoad exhumationem in casum contraventionis faciendam, c. Ex parte De sepult. c. 1. eod. lib. 6. Sed exorta est super hoc articulo contentio materia, quid in eo sit, fidem facere plenam? * In qua difficultate diffinienda primò inquirendum est, quo modo hæc electio fieri possit; an tantum per speciem ultimæ voluntatis; hoc est in testamento, vel in codicillis, in quibus testantes plerumque de eo disponere solent, c. Cum liberum c. Cum super eod. tit. an etiam per alium quemcumque actum inter vivos?

Et verum est, quod utroque modo, & indifferenter fieri possit; sic quod electio, quamvis sonet in actum ultimæ voluntatis, quia in vita effectum suum non habet, sed post mortem conferatur, c. De uxore De sepult. Glossa ult. in fin. eod. tit. lib. 6. ad actum tamen testandi præcisè, strictè & limitatè non referatur, l. Verba contraxerunt De verbor. signif. * Cuius rei argumentum à simili subministrat, quod licet filius familias non possit facere testamentum, nec codicillos, l. Filiusfam. De testam. l. divi §. codicillos De iure codicill. possit tamen liberè sibi etiam sine assensu partis eligere sepulturam, c. Licet De sepult. lib. 6. * Et Monachus

qui testamenti factionem activam non habet, c. 2. De testam. qui à loco sui Monasterij abest, si commodè eo deferri non potest, rectè quoque possit sibi sepulturam eligere: quod alio actu, quàm testandi, fieri necesse est. * Species enim quædam mandati est, disponere de eo, quod quis post mortem suam fieri vult: veluti monumentum sibi fieri post mortem, l. Si remunerandi §. fin. D. Mandati: quod cum non transeat in speciem hæredis, institutionis, legati aut fideicommissi, extra speciem ultimæ voluntatis per actum inter vivos fieri potest; veluti verbis, literis, epistolis, instrumentis, per nuntium.

Quo constituto dicimus, plenam fidem facere, nihil aliud esse, quàm legitimè, manifestè, & perfectè probare. Pro istem enim hic accipiuntur, c. Cupientes §. quod si per viginti De electi. l. b. 6. Ita ut fides probationis sit in sufficiente & legitimà probatione; quæque opponitur semiplenæ, c. 2. De probat. l. Si chirographum l. cum de indebito eod. tit. Vnde Glossa, in d. §. quod si per viginti, plenam fidem interpretatur, quæ sit per testes & alios legitimos modos probandi. * Et Accursius, in d. l. cum de indebito in v. legitimus, legitimas probationes dicit esse illas, quæ sunt testibus, & instrumentis; non iurando, in quo non est modus probandi, sed exoneratio à probatione, l. son. m. l. Si quando c. Vnde vi. * Ita ut hæc electio probari possit per quamcumque scripturam defuncti hoc continentem, etiam si sit epistola tantum; quia dependet à libera ejus voluntate; ut & mandatum per epistolam probatur, d. l. i. d. Mandati. Cum enim quisque eligendo præjudicare possit parochiali Ecclesiæ, seu loco, in quo quis alioqui sepeliri deberet, d. Clem. Dudum & toto tit. De sepult. fit, ut ejus scripturæ stari debeat. Ut etiam sic statur scripturæ manu militis scriptæ, continentis ejus voluntatem ultimam; quia testamentorum solemnibus alligatus non est, l. Miles si testamentum de milit. testam. l. Miles c. eod. Probari quoque potest facti evidentia, Doct. in c. cum ad sedem De testam. spoliat, ex destinatione patrisfamilias; si vide licet sibi, vel uxori, seu familiæ aliquo loco monumentum fieri fecerit; si sacrophagum posuit; si epitaphium, præveniendū tempus mortis, posuerit: non enim minus, imò sæpè magis factum, quàm verbis voluntatem suam quisque declarat, l. Nostra c. De testam. Per testes quoque non pauciores duobus, probatio plena conficitur, l. vbi numerus De testib. testibus, inquam, quibuscumque, quorum testimonium regulariter non est prohibitum: & sic non tantum per mares, sed etiam per feminas, l. Eos c. eod. tit. De testib. imò etiam per consanguineos, ad quos saltem hereditas defuncti non pertinet, quique defunctum non repræsentant, & ex electione sepulturæ aliquid commodi referre non possunt, Doct. in l. Etiam c. eod. Bald. consil. 188. consobrinus vol. 4. quemadmodum illi iidem in testamentis & codicillis testes esse possunt. Sed dubitatur, an hac in re sufficiant testes singulares ex loco, & tempore; uno dicente se hoc loco vel tempore, alijs alio audisse defunctum sibi eligentem sepulturam, aut consistentem quod elegerit. Nam probatio, quæ sit per testes in suis testimonijs singulares, dicuntur non sufficientem proba-

probationem facere, *c. Cum dilectus §. nos verò vers. & si tres De elect.* usque adeò ut plerique tradant mille testes singulares non plus probare, quàm unum solum. Sed veritas juris in contrarium est; quòd hæc in re etiam sufficiant testes singulares; per rationes, quas eleganter adfert Guido Papæ, *decis. §. 44. Quidam elegit*: qui refert ita sæpius iudicatum, & determinatum fuisse in Curia Parlamenti Delphinatus; ad quem brevitatis causâ remittimus. Hoc tantum addentes, in hac probatione, quæ fit per testes, sive contestes, sive singulares, hoc requiri, ut deponant defunctum non jocose, non levitate quadam, aut obiter fecisse hanc electionem; sed destinato proposito, & verbis non omnino enuntiatis, sed dispositivis, in re & actione ferri seu ardua: exemplo ejus, quod traditur de militis ultima voluntate per testes probanda, *l. Divus De milit. testam. §. plane Instit. eod.*

De Sepulturis.

S V M M A R I V M.

Sepultura Ecclesiastica Eremitæ.

1. Albinatus ius consuetudinarium.
2. Clericus vel Monachus non possunt in ius vocari coram Iudice laico.
3. Sepultura causa Ecclesiastica est.
4. Possessoria causa in rebus Ecclesiasticis ad forum laicale pertinet.
5. Sepeli quisque debet eo loco, ubi subditus est.
6. 15. 18. Monachus ubi sepeliri debeat.
7. Albinatus ius bona, non personam respicit.
8. Sepultura nisi in cadaveribus punitorum peti non debet.
9. Sepultura impediri non potest.
10. Albinatus ius an comprehendat Ecclesiasticos?
11. Confiscatio bonorum clerici ad quem pertineat.
12. Monachi peculium pertinet ad suum monasterium.
13. Fundum alienum quomodo quis ingredi non possit sine iniuria.
14. Sepelire quisque cadaver hominis potest.
16. Intestatus non est, qui alteri extremam suam voluntatem commisit.
17. 19. Sepulturam quisque eligere sibi potest.
20. Eremita an pro Religioso, an pro laico habendus.

CONSILIVM CCCCXXXVIII.

PRO parte Reverendi Domini Abbatis Monasterij Bonæ Spei proponitur in facto, quòd quidam Frater Natalis ex Armenteria Oppido Flandriæ, secessum & Eremiticam seu solitariam vitam quærens, de consensu sui Episcopi se transtulit ad silvam quandam sitam in Comitatu Hannoniensi, jure feudi pertinentem ad Dominum temporalem de Wilrevall, in qua postquam per integros duodecim annos vixisset instance morte coram Domino & Fratre Ioanne D'Aillebroux, Religioso dicti Monasterij, Curato seu Pastore loci de Anderlieu (cui hic Eremita plerumque sacramentalem suam confessionem facere solebat) suum testamentum fecit, seu ultimam voluntatem, propriâ manu illi subscribendo: in quo inter alia desideravit, & rogavit, ut emortuum suum corpus sepeliretur in Ecclesia vel Monasterio magis propitio; in quo ejus corpus requiesceret, & ei ibi iusta fierent, secundum loci consue-

tudinem, propter Dei amorem. Quo testamento sic condito, acceptis à dicto Domino & Fratre Ioanne ultimis sacramentis, idem Frater Natalis in dicta silva, in sua cellula mortuus est; cujus cadaver prædictus Frater Ioannes, ex consensu præfati Reverendi D. Abbatis, ex dicta silva ad Monasterium Bonæ Spei transferri, & in templo ejusdem Monasterij sepeliri fecit. Dominus de Wilrevall tamquam dictæ silvæ etiam quoad superiorem jurisdictionem Dominus, vim sibi & grave præjudicium illatum, dictamque suam jurisdictionem turbatam, violatamque existimans; eo prætextu, quòd ad illum ratione suæ jurisdictionis inter alia pertineat ius Albinatus, in Regno Franciæ, & locis finitimis frequentissimum; quo circumscriptâ juris communis dispositione, in *Auth. Omnes peregrini c. Communia de success. bona eorum*, qui extra Hannoniam nati, sive sint peregrini peregrinantes, sive etiam domiciales, quamvis longissimo tempore; exclusis etiam propriis liberis, pertinent ad superioris jurisdictionis loci Dominum temporalem; eaque ratione non liceat nec dicto Fratri Ioanni, nec dicto Abbati, per se aut alium, sine veniâ & consensu superioris Domini, hoc mortui hominis corpus, ex dicta silva aliò etiam sepulturæ causâ transferre. Ob quam rem idem Dominus de Wilrevall præfatos D. Abbatem, & Fratrem Ioannem in ius vocat ad Curiam seculari Oppidi Montensis; & vellet ex interdicto restitutorio, peti redintegrationem violatæ suæ superioritatis & jurisdictionis, per restitutionem dicti emortui corporis; saltem in figura, & pro pœnâ pecuniaria decem libras (que in scriptis consuetudinibus Hannoniensibus est pœna in silva aliena intemptivè capientis cer-vum aut hinnulum) partim Comiti Hannoniæ partim sibi applicandas. Quæritur, an Dominus Wilrevall fundatam habeat intentionem in præmissis; præsertim ad illam persequendam in dicta laicali Curia Montensi?

Quoniam verò in disquisitione judiciali questio fori prior est; & prius de Iudice competente, quàm de iudicio, quæri solet, *Glos. Rubr. De foro compet. c. Pastoralis De except. prius de eo dicemus*, an dicti Domini Abbas & Curatus rectè ex hac causa conveniantur coram Iudicibus laicis in dicta Curia Montensi? In quo ex Iuris communis dispositione res expeditissima est; quod neque civiliter, multò minùs criminaliter ad pœnam, Clerici vel Religiosi possint in ius trahi coram Iudice laico: cum neque clerici, neque Religiosi possint per laicum Iudicem ullo modo distringi aut condemnari: idque non tantum ex Canonibus, *c. Nullus, c. Si quis contra De foro compet. c. At si clerici §. fin. De Iudic.* sed etiam civilibus constitutionibus, *Authem. Statuimus c. De Episc. & cleric.* idque etiam sine discrimine causæ vel delicti; ut nec in atrocissimo crimine læsæ Majestatis laicus Iudex jurisdictionem in clericum habeat, *Hieron. Gigas in tract. de crimine læsæ Majest. lib. 1. tit. quis de crim. læsæ Majest. cog. possit, Roland. à Valle cons. 4. in causa vol. 1. nu. 20.* Quod indubitatum omnino est, cum causâ quoque Ecclesiastica seu spiritualis magis, quàm civilis est. * Vt est causa sepulturæ, quæ specialiter ad forum